

et iudicii temporis. Quae vero post haec subsequenter,
qui sermo poterit explicare quae erit voluptas, quae
laetitia esse cum Christo. Ubi anima ad propriam gene-
35 rositatem regressa cum fiducia coeperit iam videre Domi-
num suum, explicari non potest illius laetitiae magni-
tudo. Non enim solum pro his exultat quibus perfruitur
in praesenti, sed multo magis pro eo gaudet quod bono-
rum suorum scit nullum finem futurum. Et quamvis
40 illa gaudia atque illam laetitiam neque sermo ullus
explicare valeat, neque cogitatio ulla concipere, tenui-
ter tamen, velut umbram quandam futurae imaginis
intuentes tibi indicare temptabimus. Requiramus, si
videtur, ab his qui in praesenti vita bonis saeculi et divi-
45 tiis perfruuntur, qui in honoribus et potestatibus glorian-
tur, quanta laetitia extolluntur in his, quanta haec delec-
tatione et voluptate mirantur, ita ut interdum nec in
terris se esse arbitrentur et quidem cum constet etiam
apud illos ipsos nec vere haec esse bona nec esse perpetua
50 sed somnio citius evolare aut etsi acciderit aliquando ut
parum aliquid permaneant et exiguum hoc tempus prae-
sentis vitae non deserant, quanta his felicitas esse credi-
tur, quanta laetitia. Igitur si haec caduca et corruptibilia
tantum gaudii hominibus conferunt, quid putandum est
55 sentire laetitiae animas illas, quae ad caelestia et perpe-
tua pervererint bona, in quibus et quantitas et qualitas
tam diversa et tam eminens est ab his quae in hac
vita putantur bonis, ut neque ad conspectum adhuc ullius